Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

pus de Maria Virgine pro nobis assumere dignatus est, quo in crucis ara à uestra potestate liberauit nos, per eum qui uenturus est iudicare. etc.

Dicat ad aures.

Præcipio uobis maligni spiritus per omnipotentiam patris, et filij, et spiritus sancti, qui nos et uos creauit, et per casum quem uos fecistis à regno coelorum: per ueritatem transsubstantiationis panis in corpus Christi, et per integritatem uirginitatis purissimæ Virginis Mariæ, ut exeatis ab hoc homine, et totum corpus illæsum permittatis et quietum, in nomine patris. etc.

Oratio.

Sanctissima Virgo Maria cum omnibus sanctis et electis Dei intercedere dignare pro hac famula tua. N. et pro nobis famulis et famulabus tuis, ne ipse Dominus respiciat peccata eius siue parentum, neq; peccata nostra, sed per uestram intercessionem adiuuet nos, et liberet eam ab hac obsidione nequam spirituum, ut eam liberè reddat pristinæ sanitati ab omni impedimento Sathanæ, et ministrorum eius, per eum, qui uenturus est. etc.

Oratio.

Domine Iheſu Christe qui dixisti per os Malachiæ prophetæ,